

hilari vultu dabis. Non obest quidem agricolæ, si tristi vultu seminet, nec prodest, si hilari et læto; at facienti eleemosynam plurimum prodest, si hilariter faciat; obest, si cum tædio. Ideo Seneca, lib. II. de benef. cap. VI. ait: « Sicut in telis eadem vis ferri est, sed in infinitum refert, utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant. Idem est quod datur, sed interest quomodo detur. » Hæc ille. Extende igitur manum hilariter, ut ad cælum usque jaculari eleemosynam tuam possis. Audi S. Chrysost. hom. LXIII. ad pop. « Vera eleemosyna est, inquit, sic dare ut gaudeas te dare, putans te accipere magis quam dare. Non enim tam pauperibus quam nobis prosumus; plura accipientes quam dantes. » Sic ille.

Secundo eum commiseratione et suavitate. Sic Dominus *misertus est super eos*, inquit Marcus, cap. VI. *quia erant sicut oves non habentes pastorem*. Itaque jubet eos discumbere et propriis manibus distribuit panes. Ita etiam præcipitur Ecclesiast. XVIII. *Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali*. Tali suavitate usus est Booz erga Ruth, colligentem in agro illius spicas. Cum enim cerneret eam præ verecundia non satis audere colligere, præcepit famulis ut de industria projicerent manipulos, quos illa colligere sine rubore posset, velut neglectos ac sibi debitos; necnon humanissime eam alloquebatur, adeoque animabat ad colligendum. Simili suavitate usus est S. Joannes eleemosynarius erga juvenem quemdam nobilium et divitum parentum alias filium, qui in paupertatem inciderat; ne enim is eleemosynam accipere erubesceret, jussit quemdam ejus famulum in antiqua aliqua charta recognitionem quamdam scribere, qua constaret ipsum patriarcham a multis annis debere ipsius juvenis parenti magnam auri summam; eamque chartam eidem juveni offerre, suadereque ut creditum illud parentis a patriarcha exigeret. Quod cum juvenis fecisset, sine ulla difficultate aut mora recepit specie crediti honoratissimam eleemosynam prodeuntem ex pectore illo magis anxio ad dandum, quam sint omnes hujus mundi avari ad accipiendum: ut in ejus vita. Quam dissimiles his sunt illi, qui pauperes calumniantur, inquisitionibus vexant, beneficia illis exprobrant; siquidem hi non tantum dare, quantum auferre censendi sunt, famam scilicet et honorem.

V. Quare? Propter Christum, ideo Dominus hodie distributus panes *respexit in cælum*, ut aiunt Lucas et Matthæus; quo sciremus primo propter Deum faciendam esse eleemosynam, non propter inanem et terrenam gloriam, nisi veli-

mus perdere mercedem nostram. S. Chrysost. hom. XIII. operis imperf. ait: « Ecce facis epistolam ut aliquem salutes amicum; quamdiu scribis, semper in corde tuo vides illius personam amici, propter quem scribis epistolam. Sic et qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo, propter quem facit. » Hæc ille. Hoc est quod dixit Ecclesiast. c. XXIX. *Conclude eleemosynam in corde pauperis*: concludit, inquit propter metum vanæ gloriæ, ne illa resciat opus tuum et destruat. Ut enim pavo femina ponit ova in loco abscondito, ne mas qui solet ea confringere, inveniatur; ita tu eleemosynam tuam in abscondito repones, ne vana gloria destruat illam. Quid enim pavo mas tot speculis ornatus et caudam suam ostentans nisi gloria inanis? Et quid pavo femina nullius pulchritudinis, nisi humilitas? Apposite igitur Christus dixit Matt. VI. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua*, id est, intentio vana, ut exponit S. Augustinus tract. VI. in epist. Joan. *Quid faciat dextera tua*, id est intentio bona et humilis.

Secundo ex mera liberalitate, sine conditione onerosa et compensatione. Unde Dominus in hodierno evangelio in cælum respexit, docens a Deo solo expectandam mercedem. Idem cum cognovisset venturas turbas, ut raperent eum et facerent regem, fugit in montem; docens ne exigamus vel etiam expectemus compensationem aut retributionem aliquam ab iis, quibus benefecimus. Propterea Dominus Lucæ decimo quarto, monet non invitandos ad convivium qui habent retribuere, sed contra eos, qui non possunt retribuere: *Ne forte te*, inquit, *et ipsi reinvitent et fiat tibi retributio*. Ecce quantum solliciti sunt homines ut pecuniam suam mutuent illis, qui possunt solvere; tantum vult nos esse sollicitos ut demus iis, qui nequeunt solvere: *Retribuatur enim tibi*, ait, *in resurrectione justorum*. Si quis a te mutuos petiisset centum nummos, homo alioqui ditissimus, ea lege ut nisi intra annum tibi restituerit, post elapsum annum teneatur tibi pro centum nummis, centum ducatos? Rogo te quid hic faceres? Nonne omnibus votis optares ut debitor solutionem differret usque dum præterisset annus? Sane optares. Atqui ita res se habet in proposito; obligavit enim se tibi Deus, ut nisi mercedem temporaneam hic reciperes malis, post hanc vitam, æternam recipias. Cave igitur, si sapis, des illis eleemosynam, qui possunt retribuere tibi. Neque est quod eos obliges ad preces pro te ad Deum fundendas; licet enim illi non orent, ipsa pro te eleemosyna orabit, Eccles. XXIX.

VI. De quo? De justis partibus, Proverb. III. *Honora Deum de tua substantia*. Unde S. Chrysost. hom. L. Cyrill. Theophyl. dicunt, hos quinque panes discipulorum fuisse. Bona est eleemosyna quæ de proprio fit peculio; optima quæ de proprio labore, ut S. Servuli apud D. Greg. Contra: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui immolat filium in conspectu patris*, ait Eccles. c. XXXIV. Aqua munda purgat, immunda coinquinat; sic eleemosyna. Hostias suas voluit Deus esse sine macula. De alieno offerre Deo, vel pauperi, perinde esset, ac si unum pauperem spoliaret ut alterum vestires, secundum Chrysost. homil. LXXXVII.

Secundo de optimo, sicut Abel de adipe gregis, et Abraham vitulum tenerrimum, Gen. XVIII. Quidam, ut scribit Cicero, lib. II. de invent. cum somniasset se dormire super ovum, et alius somnium interpretans indicasset ei thesaurum absconditum in ejus domo, in quo intra massam argenteam aurea contineretur, inventor non nisi argenti particulam misit interpreti. Expostulavit ergo iste, et *Nihilne de vitello?* inquit. Quanto magis queritur de nobis Deus, si vilia tantum ei demus, quibus tamen optima quæque non indicavit, sed dedit?

CONGIO IX.

DOCUMENTA.

I. Fervor in audiendo evangelio. — II. Varii verbi Dei auditores. — III. Custodiendi oculi. — IV. Ante et post mensam orandum. — V. Cura habenda pauperum. — VI. Providentia Dei in sustentandis hominibus. — VII. Prius animæ quam corpori providendum. — VIII. Quadragesima præmittenda paschati. — IX. Temperantia sectanda. — X. Ordo servandus in Ecclesia. — XI. Superflua pauperibus danda. — XII. Contemnendi honores et favores hominum.

THEMA.

Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum. Joan. VI.

E præclaro illo convivio hodierni evangelii comedimus jam potiora in superioribus concionibus, si tamen iis interfuimus. Supersunt nunc reliquæ seu fragmenta doctrinarum, et quidem in tanta copia, ut his non difficile duodecim implere cophinos possemus. Ne vero, auditores, tanto onere vos gravem, et ne interim in evangelium peccem, si reliquias has neglexero, duodecim fragmenta solum pro duodecim illis cophinis vobis exhibeo, et si aures vestræ cophi-

norum instar apertæ sint, in eas nunc injiciam.

I. Discite fervorem et zelum audiendi evangelium a turba hujus evangelii. Etenim primo *venerunt pedestres*, inquit S. Marcus, cap. VI. *de omnibus civitatibus, ut audirent eum*. Secundo *venerunt a longe eumque secuti sunt usque in desertum*; ut videre est apud eundem Marcum. Tertio *venerunt magno numero ad quinque millia virorum, non computatis parvulis et mulieribus*. Quarto *concurrerunt et prævenerunt Christum atque apostolos, ut ait idem Marcus*. Quinto *venerunt ultro, non vocati, multo minus coacti*. Sexto *eibi et potus obliti*, (alioquin enim Christus panem non procurasset per miraculum, quia sine causa miracula nunquam fecit) nihil secum tulerunt, unde se reficerent. Septimo *adduxerunt etiam parvulos suos, ut colligatur ex Matth. c. XIV. Quid hic dicemus Christiani? Ubi nunc qui tanto itinere et pedestres veniant ad Dei verbum? Ubi tantus eorum numerus? Ubi concursus et præventio? Ubi eibi et potus oblitio? Ubi filii et filia verbo Dei audiendo jam idoneæ? De ægrotantium sanitate recuperanda solliciti sunt parentes; quomodo vero liberi ad catechesin et rem divinam veniant atque attendant, nihil pensi habent. Ad nundinas et emporia curritur undique turmatim festivis maxime diebus; res interim divina negligitur ob lucellum unum, ut verissime his dictum videatur id Ezechielis XIII. *Violabant me propter pugillum hordei et fragmen panis*.*

II. Discite varios esse verbi Dei auditores. Quemadmodum enim Christus Dominus aliquando ad mare accessit; non tamen ingressus est, ut Matthæi IV. aliquando insecundit navem, mox tamen ad terram reversus est, uti Lucæ; quandoque demum omnino abiit trans mare, ut in hodierno evangelio: ita solet contingere verbi divini auditoribus. Horum enim alii adeunt conciones; verum ingredi nolunt mare pœnitentiæ ac sese emendare; alii ingrediuntur et proponunt valedicere affectibus terrenis, pellici, usuræ, inimicitia, ebrietati, etc. Verum illecti pristinae conversationis quasi patriæ dulcedine, eandem viam relegunt redeuntque eo unde digressi sunt; similes ranis de palude sua quandoque prorepentibus, mox tamen ubi strepitum audierint, in eandem resilientibus. Alii ingrediuntur pœnitentiam, et trajiciunt cum Christo; et hi demum digni fiunt, qui in convivio cœlesti a Christo satientur. Qui palatium vult extruere, nequaquam satis habet, posuisse fundamentum, neque erexisse parietes, sed illud machinatur, ut ultimam manum edificio imponat; fieri alioquin potest, ut fabrica cœpta et imperfecta ex aula fiat caula, et

quicumque eam viderint, incipiant ei illudere dicentes: Hic homo cepit ædificare, et non potuit consummare. Idem eveniet iis, qui pœnitentiam quidem inchoant, minime tamen perficiunt.

III. Discite custodire oculos. Auditis enim Christum sublevasse oculos ad contuendam turbam ad se venientem; quo sane indicatur non sine magna causa attollere consuevisse oculos, sed eos modeste semper vel ad terram deflexisse, vel intra limites suos continuisse; non quod metuere oculis suis, ne præda aut prædones fierent, sed ut nos doceret coercere visum. Scimus enim, quantum nocuerint oculi Evæ in arborem vetitam coniecti, Genes. II. Dinæ in Sichimitas, Genes. XXXIV. uxori Putipharis in Josephum, Genes. XXXIX. Davidi in Bethsabeam, II. Regum XI. senibus duobus in Susannam, Dan. XIII. De naphtha sulphureo bitumine scribit Plinius, l. II. c. CV. *Huic magna cognatio ignium, transiliumque protinus in eam undecumque visam.* Hujusmodi igniculi sunt oculi, qui in formas et pulchritudines elegantiores illico insiliunt undecumque visas; adeo magna eis cum oculis cognatio est. Non tenemur quidem oculos vel claudere vel ad terram semper dejicere; tene-mur tamen eos, primo curiose non circumferre undique, quia hoc levitatis est. Secundo avertere ab objectis illis, quæ periculum peccati aut distractionis nobis ingerunt. Tertio continere sedulo dum oramus vel intersumus rei divinæ. Vicissim etiam decet suo tempore eos attollere ad exemplum Christi, primo ad considerandam et sublevandam pauperum inopiam, quod in hodierno evangelio fecit Dominus. Secundo ad agendas Deo gratias, ut etiam hic fecit, Marco teste, panes jam multiplicaturus. Tertio ad Deum deprecandum, uti fecit, Joannis XVII. deprecaturus Patrem. Quarto ad instruendos et dirigendos subditos, uti fecit Luc. VI. doc-turus discipulos. Quinto ad Dei gloriam in omnibus operibus quærendam, uti fecit Joan. XI. suscitaturus Lazarum.

IV. Discite benedictionem mensæ præmittere et subjungere gratiarum actionem. Etenim Dominus antequam distribueret panes *gratias egit*, atque ut S. Lucas ait, *suscepit in celum et benedixit eis.* Habemus hujus rei præceptum Deut. VIII. ubi dicitur: *Cum comederis et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Habemus exemplum veterum Hebræorum, I. Reg. IX. ubi populus de victimis nihil comedit donec Samuel eis benediceret. Recentiorum item, qui (ut est in eorum rituali) in conviviis longa utuntur benedictione, imo quoties novi et lauti affertur aliquid, peculiarem adhibent benedictionem di-

centes: *Benedictus sit Dominus Deus noster creator, qui bonus es, et benefacis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus, etc.* Habemus etiam exemplum veterum Christianorum, de quibus Tertullianus (qui circa annum Domini 203. vixit) in Apocal. c. XXXIX. ait: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Æque oratio convivium dirimit.* Horum exemple et nos ante comestionem suspiciamus in cœlum, ad datorem omnium bonorum, indeque petamus cibum. Non sumus instar equorum, qui in pabulum conciti mordent. Nec minori cura post mensam gratias agamus, ut novam in futurum mereamur refectionem.

V. Discite liberalitatem et curam habere pauperum. Nam primo Dominus sublevavit oculos ad videndam multitudinem cibis destitutam. Idem et vos facite, aspiciete miseras pauperum, nolite avertere oculos, nec considerare eorum infima, quod miseri, egeni, despecti sint: sed eorum summa, quod in iis Christus est; istud est sublevare oculos ad eos contuendos. Deinde dedit liberaliter ita ut satiarentur, etiam sine difficultate, non rogatus; sic tribuite et vos. Dedit Christus apostolis panes, ut apponerent eos turbæ; dat etiam divitibus opes Deus, non ut ipsi omnes devorent, sed ut egentibus communicent. *Fecit Deus divitem*, inquit D. August. in Psalm. CXXIII. *ut probet illum de paupere*; num videlicet fidelis dispensator bonorum Dei sit. Nemo inveniatur, qui diffidat cum Philippo, dicens: Quis omnibus satisfacere et dare? Quis tot pauperes satiare possit? Tentat enim vos Deus, utrum charitatem vestram erga pauperes et affectum ostendatis, vultque ut saltem pro viribus, sed libenter impendatis, quidquid tandem id sit.

VI. Discite Dei providentiam in sustentandis hominibus præsertim servis suis. Magno miraculo pavit Christus plusquam quinque millia hominum paucis panibus et piscibus; sed si advertere vellemus, non minori miraculo pasceit adhuc mundum. Fridericus III. imp. cum ad Coloniensia comitia repente ingens vis mortalium convenisset, hospitem et civium censu instituto, panum quoque qui eo die in urbe reliqui, ad cœnam servabantur, numerum iniiit; sic ut in quatuor vel quinque capita singuli panes obolares vix responderent. Postero die equinam e tanto numero in tanta panis paucitate esurivissent, quæstione habita; divinæ benedictionis memorabili exemplo omnes affatim satiatos fuisse deprehendit. Refert Joan. Agricola in adag. German. Speciatim vero Deus providet servis suis, quemadmodum in hodierno

evangelio, ubi accedenti ad se turbæ causa verbi divini, ipse interim cogitat, quomodo eam reficiat; tractatque de hoc cum apostolis. Ita Danieli in læu leonum clauso et ab omnibus deserto, mittit Habacucum, qui deferat ei cibum, quem aliis paraverat, Dan. IV. Eliæ mittit corvum, III. Reg. XVII. filiis Israel manna, Exod. XVI. in nova lege Paulo eremite corvum, Ægidio cer-vam, etc.

VII. Discite primum quærere regnum cœlorum et providere animæ quam corpori, siquidem Christus prius mentem quam ventrem auditorum suorum satiavit: *Loquendo illis de regno Dei*, ut ait Lucas, et *docendo multa*, ut ait Marcus. Itaque in diebus maxime festivis prius reficienda est anima verbo Dei et sacrificio missæ, deinde primum corpus. In ægritudine constituti prius solliciti simus de animæ, postea de corporis sanitate paranda; et universim spiritualia præferantur corporalibus. Quem ordinem quia plerumque pervertimus, ideo etiam nobis pleraque præpostere eveniunt. Audiamus S. Chrysostomum, homil. LXXIX. ad pop. « Propterea, inquit, multa tam in communibus quam in privatis rebus, præter sententiam nobis eveniunt, quoniam non circa spiritualia primum, tum vero circa sæcularia curam exhibemus, etc. »

VIII. Discite jejunium quadragesimæ præmittere paschali gaudio. Legitis enim in hoc evangelio proximum fuisse pascha, cum daretur istud epulum. Quos vero ibi cibos, quas cupedias apposuit Dominus? Num carnem et butyrum? Num lacteinia et ova? Nequaquam, sed esuriales cibos, pisces cum panibus. Videtur ergo Dominus respexisse in hoc convivio ad nostram quadragesimam, nec immerito. Scivit enim morem Hebræorum, quo ad vicinum pascha se dis-pone-re per jejunium aliaque opera solebant. Ita legimus Joannis V. *Proximum erat pascha Judæorum, et ascenderunt multi Jerosolyman de regione ante pascha ut sanctificarent seipsos*, haud dubie jejniis aliisque piis operibus. Quadraginta autem dies decrevit Ecclesia huic jejunio, quia in totidem diebus formatur in utero matris fœtus masculus, quadragesimo die animatur; ex recepta philosophorum sententia, volens ergo Ecclesia in paschate nos animare et vivificare Dei gratia; ideo quadraginta diebus format et sanctificat per jejunium aliaque pœnitentiæ opera.

IX. Discite temperantiam; quando Dominus nequaquam delicatas epulas, veluti perdices, capones, phasianos, ostrea, ferinas carnes, aliaque gulæ irritamenta procuravit, cum æque facile posset; sed panes eosque hordeaceos tantum cum piscibus. Voluit enim necessitati homi-

II. PARS HIEMALIS.

num consulere, non cupiditati. Illa facilis domina est, hæc vero difficilis et tyrannus; illi pane et aqua satis fit; hæc neque in mari neque tellure sufficiens cibus. Hebræis erat manna in deserto; sed quia præterea carnes desiderarunt ad satiamdam cupiditatem, ideo ira Dei *ascendit super eos et percussit eos plaga magna.* Unde locus ille *sepulchra concupiscentiæ* appellatus est Num. XI. Fuit autem ea plaga ignis, qui et ipse insatiabili ingluvie omnia depascit. Vidit aliquando Sanctus Antonius ambulans, pauperulæ domui, in qua vidua cum tribus filiabus lanæ et lini opificio victum sibi parabat, angelos insidentes. Misertus ergo illarum, jussit eis donari quantum sufficeret ad commodam sustentationem. Sed post hæc eodem aliquando reversus, vidit insidentem domui diabolum; quod mulierulæ nonnihil ditatæ per eleemosynam illam, luxui se et otio dedissent: Vinc. Maynardus in ejus vita apud Surium 2. Maii. Sufficit ergo pauperibus tenuis sustentatio, nocent deliciæ. Et certe justis pauperibus melius sapiunt viles et obvii cibi, quam divitibus malis pretiosi et delicati. Patet in Elia qui pane subcinericio et aqua refectus adeo bene epulatus est, ut inde obdormiret, et postea ambularet diebus quadraginta, III. Reg. XIX. Patet in Daniele et sociis, qui leguminibus et aqua victitantes robustiores et speciosiores evaserunt, quam alii honorarii pueri regis enutriti cibus, Dan. I.

X. Discite bonos mores a convivis hodiernis. Nam primo jussi sedere humi, consident eo quo jussi ordine, *per contubernia, centeni et quinquageni*, ut scribit Marcus. Deinde patienter expectant, donec sibi afferantur panes, non ipsi involant in cophinos apostolorum. Denique non putabant licere sibi discedere in vicos ad emendos panes, nisi a Christo dimitterentur; unde dicunt apostoli: *Dimitte turbas, ut euntes in castella inveniant escas*, teste Luca. Discite hinc Christiani ordinem decentem servare maxime in templo ad sedendum, standum, flectendum, ac cedendum in confessione, communione, oblatione, etc. Deinde patienter expectare non initium modo rei divinæ, sed et finem. Nemo sese templo subducat ante finem, quia talis et alios perturbat et præcepto Ecclesiæ non satisfacit, si missæ notabilem partem negligat.

XI. Discite dona Dei non negligere, sed quod superest vobis utiliter insumere in usus pauperum. Propterea enim jussit Dominus colligi fragmenta, ne perirent, sed ut egentibus afferrentur. Nemo tunc amplius in turba reperiebatur esuriens, non ideo tamen abjectæ sunt reliquiæ (ut fieri solet in mensis divitum) sed eo asportari

jussæ ubi pauperes occurrerent. Viderint hic illi, qui malunt superflua sua tineis et blattis, canibus et lurconibus depabulanda dare, quam pauperibus: item qui ea, quæ paulo post peritura sunt, domi suæ malunt interire, quam pati ut a domesticis erogentur in usum pauperum. Fuit aliquando B. Bertulphus adhuc in sæculo degens (postea abbas S. Petri apud Gandavenses circa annum Domini 1070.) in servitio Wamberti comitis, e cujus bonis maxime vero de ciborum reliquiis, largas elemosynas pauperibus donabat, augebantur interim non minuebantur facultates domini. Verum invidentes illi cæteri famuli detulerunt eum ad dominum, quasi rei domesticæ dissipatorem, nuntiantque ei vespertino quodam tempore egredi Bertulphum cum hujusmodi furtivis epulis et vino ad pauperem. Revocatur ad comitem Bertulphus et quid gerat interrogatur. Cui ille: *In vase hoc fictili aquam habeo, quam ad ignem calefacturus sum.* Gustavit comes et aquam deprehendit, quæ tamen ubi ad pauperem delata fuit, vini naturam recepit: apud Surium, in vita 5. Febr. Voluit hoc miraculo Deus erudire dominos, ut non facile prohibeant domesticis suis, superflua interitura bene dispensare, ne pereant.

XII. Discite contemnere honores et favores hominum; quod docuit Christus Dominus cum advertens populi studium fugit in montem, quo regiam dignitatem sibi offerendam declinaret, hominesque erudiret quanta sint incommoda et pericula eorum qui in summis dignitatibus constituti sunt, sibi vix unquam vacare posse, ad subditorum tantum vitam, pacem et conservationem attendere. Unde Claudianus ad Honorium dixit:

Tu civem patremque geras: tu consule cunctis,
Non tibi: nec tuate moveant, sed publica damna.

Deinde suo exemplo malo omnes alios pervertere, ita ut non liceat ei soli malum esse, nec magis, quam soli latere. Rursum servorum suorum ita indigere opera, ut sine iis vix quidquam agere, vix vivere queat, atque ut eos obsequiosos habeat vicissim eis servire debeat. Nisi enim eos affabilitate, munerum largitione, errorum multorum dissimulatione sibi devinciat, vix unquam fideles ac benevolos habebit. Hinc quidam rex dixisse fertur se esse regem regum, dominumque dominantium, hoc est, eorum, qui ipsimet regunt et obtemperant cum ipsis placet, adeoque dominantur arbitratu suo: apud Serar. in c. I. Jos. Ad hæc de singulis sibi commissis capitibus dare rationem Deo: de singulis tributis, exactionibus, nummis, honoribus, de toto

principatus fine et mediis, quibus acquisitus, administratus, etc. quodque pessimum est, non habere facile qui delinquentem audeat corrigere. Viderunt hæc et similia non pauci ex ipsis gentilibus cæteroqui ambitiosissimis, qui vel oblata imperia respuerunt, vel etiam deposuerunt. Hoc postremum facere non semel cogitavit Augustus, fecit Diocletianus.

Superest nunc, ut, auditores, fragmenta hæc colligamus, quia in bonum nostrum a Christo reservata sunt. Videat unusquisque ex quo potissimum cophino frustum suum depromat, quod sibi maxime expediat, ut ita simul omnes satiati mente, non ventre, uno ore honorificemus Deum et Christum regem nostrum.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Cur abiit Dominus trans mare, etc. — II. Cur Christi miracula omnia ad miserias pellendas facta. — III. Cur subiit in montem Christus. — IV. Cur ad Philippum ait: Unde ememus panes. — V. Cur ex panibus præexistentibus pavit turbas. — VI. Cur tamdiu beneficium distulit. — VII. Cur viri tantum non feminæ computantur. — VIII. Quid illæ ceremoniæ: 1. Accepit panes in manus. 2. Aspexit in cælum. 3. Gratias egit. 4. Benedixit. 5. Fregit. 6. Dedit discipulis distribuendos. — IX. Cur superferunt duodecim cophini. — X. Cur turba voluit eum regem facere. — XI. Cur fugit Christus.

THEMA.

Abiit Jesus trans mare Galilææ. Joan. VI.

Tantum est hodiernum Christi miraculum, ut etiam inter ethnicos a Sybilla prædictum fuerit, sicut refert Lactantius, l. IV. cap. XIV. « In panibus simul quinque et piscibus duobus, hominum millia in deserto quinque satiabit, et reliquias tollens post fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in spem multorum. » Ejusdem miraculi præludium præcessit in Elisæo propheta apud Judæos, quando viginti panes hordeaceos jussit apponi centum viris, quibus adeo satiati sunt, ut etiam superferit, IV. Reg. IV. Sed quemadmodum umbra a corpore, sic miraculum Elisæi, a miraculo Christi vincitur. Ille enim viginti panibus centum viros pavit, ut aliquid superesset: hic vero quinque panibus quinque virorum millia absque mulieribus et parvulis ita satiavit, ut duodecim cophini fragmentorum superessent; quodque est potissimum, ille id aliena, hic propria virtute fecit hoc miraculum; quod quia mysteriis refertissimum, attente considerandum est

I. Cur abiit Christus trans mare in desertum? Respondetur primo ex Hieron. in Matt. XXIV. et Beda. Ut sævitæ Herodis cederet, qui paulo ante occiderat Joannem, adeoque necem etiam Christo machinari voverat, Unde Luc. XIII. dicunt ei Pharisæi: *Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Ubi etiam discis quam facile potuerit quancumque voluit, effugere manus persecutorum, etiam modis naturalibus, non erat necesse ut se invisibilem faceret, etc. noverat modos faciliores et humanos, quia noverat omnium consilia.

Secundo, ne Herodis curiositati satisfaceret, qui quærebat eum videre, Luc. IV. num videlicet esset Joannes a se occisus, quem putabat resurrexisse. Vel ut signum aliquod ab eo videret, Luc. XXIII. Sed Jesus amabat tantum videri ad salutem, non ad curiositatem.

Tertio, quod discipuli ejus legatione functi et bene defatigati redierant, et ob id quiete indigerent, Luc. IX. et Marc. VI. ubi ait illis: *Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum.* Pusillum ergo quiescere conceditur a Christo. Verum uti a turbis ad quietem spiritus et orationis se recepit Christus, ita et nos a cura proximorum ad propriam animæ curam subinde nos recipere debemus. Etenim terra majorem habet vim ad producendas fruges, si quiescat interdum, nec semper jacta semente exercentur.

Quarto, ut dolorem solaretur ex nece Joannis conceptum; homo enim cum esset, humanos affectus demonstrabat, uti et in Lazari morte.

Quinto, mystice, ut doceret. Primo quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei; ubi panis gloriæ proponitur edendus. Qui hanc viam non tenent, ad cœnum Epicuri venient. Nemo miratur si in mari fluctuet, ita ne mireris, si in mundo pressuras experiaris.

Secundo, ad communionem perveniri mediante penitentia debere. Sicut prius pervenerunt Israelitæ ad aquas amaras, Exod. XV. quam plueret eis manna, Exod. XVI. Tametsi multi instar Hebræorum conqueruntur de aquæ hujus amaritudine. Sed *dulcia non meruit, qui non gustavit amara.* Ita per quadragesimale jejunium et penitentiam ad pascha pervenimus; licet etiam multis non sapiat quadragesima. Deus ostendit Moysi lignum, quo dulcoratæ sunt aquæ illæ. Cogita tu lignum crucis, quantos pro peccatis tuis sustulerit dolores Dei Filius; et videbis dulces esse labores penitentiae.

II. Cur Christus omnia sua miracula curandis hominum corporibus et pellendis eorum miseris impendit? Respondetur primo, ut per hoc animas etiam lucraretur, et hoc quasi vehiculo beneficii

corporalis homines ad fidem suam suavius et facilius adduceret. Pendet enim fides non solum ex intellectu, sed etiam ex voluntate bene affecta; unde multum juvat ad persuadendum, benevolos sibi reddere animos aliquo beneficio.

Secundo, ut indicaret causam, quæ de cælo in terram eum traxit: miseria videlicet nostra et ipsius misericordia. Venit enim tamquam medicus animarum morbos depulsurus, sola motus misericordia super nostris vulneribus et miseris, uti in Samaritani illius parabola ostendit ipse, et alibi edixit: *Ego veni ut vitam habeant.* Item: *Filius hominis non venit perdere homines, sed salvare,* quando incitabatur ad perdendos Samaritanos igne de cælo misso.

Tertio, ne cui foret occasio opinandi, miracula ejus ad ostentationem tantum aut ope dæmonum fieri. Quomodo enim beneficeret hominibus opera dæmonum, qui non veniunt nisi ut mactent et perdant homines? Et quomodo ad ostentationem faceret miracula, quæ omnia impendit miseris? Nullum fecit inutile, nullum vel uni noxium, nullum nisi visa prius hominum miseria, uti in hodierno etiam miraculo asserit Marcus.

III. Cur subiit Jesus in montem cum discipulis? Respondetur primo ad litteram, ut discipuli ex itinere prius fatigati quiescerent a turba, vel ut ipse cum discipulis subinde a tumultu populi se subduceret et orationi vacaret.

Secundo, allegorice, quia ipse erat mons ille descriptus, Isa. II. *In vertice montium, elevatus super omnes colles,* id est, sanctos, idque partim ob suppositi divini eminentiam, partim ob vitæ et doctrinæ præstantiam. De illo monte ait Isaias: *Et fluent ad eum omnes gentes et ibunt populi multi.* De isto ait Joannes: *Et sequebatur eum multitudo magna.* De monte descendunt pluvie in valles; ita de Christo gratiarum imbres ad populum inferius expectantem.

Tertio, tropologice, quia decet discipulos, id est, religiosos et clericos altius ascendere cum Christo quam vulgus, ad perfectionis montem videlicet. Unde Arsenio eremitæ, cum descendisset aliquando de eremo ad flumen, et tactus ab Æthiopissa per meloten, increpasset eam, respondit puella: *Si monachus es, vade in montem.* Quo ille verbo compunctus, crebro se compellebat: *Arseni, si monachus es, vade in montem.*

IV. Cur ad Philippum dixit: *Unde ememus panes?* Respondetur primo ut Philippum tentaret. Sciendum autem Deum tentare ad bonum, obijciendo aliquod objectum virtutis exercendæ, eo fine ut virtus in homine latens ostendatur, acuat, perficiatur, et tandem coronetur. Dia-